

1761 4
3

DE
OBLIGATIONE
LITERAS FEVDI REVERSALES
DANDI COHEREDIBVS

~~~~~  
PRAESIDE  
ERNESTO MARTINO  
CHLADENIO D

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTORII  
ECCLESIASTICI SCABINATVS ET FACVLTATIS  
IVRIDICAE ITEMQVE IVDICII PROVINCIALIS  
IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS  
ASSESSORE

AD DIEM XXII. IAN. A. C. N. cl. Is CC LXI

VT  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
ADIPISCRETVR

DISPVTABIT

A V C T O R

ADOLPHVS CHRISTIANVS WENDLERVS

IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS  
ET ADVOCATVS IMMATICVLATVS

~~~~~  
VITEMBERGAE

EX OFFICINA SCHLOMACHIANA



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.



ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
GVILIELMO AVGVSTO
S. R. I. COMITI
A STVBENBERG

EQVITI ORDINIS AQVILAE ALBAE
POTENTISS. REGIS POL. ELECT. SAX
SANCTIORIS ADMISSIONIS MINISTRO
ET COMITI CONSISTORIANO

REL

DOMINO GRATIO-
SISSIMO

LETTERPRESSING DOMINGO

DOMINGO

GUILLELMO AVARISTO

SEÑOR CONTE

A STAVENBERG

LEONARDI FIDELIS AGRIAE ALBAE

POTENTISSIMO REGIS RICHARDI PRIMO

REX ANGLIE ET FRANCIE

IN LONDINIA

MDCCCXXXIII

PRINTED BY J. G. B. ...

DOMINGO GUALDO

AVARISTO



ILLVSTRISIME COMES

Quanquam hic libellus, qui ne-
que argumenti neque orationis
dignitate sese commendat, indignus
videri debet, qui TIBI muneri offera-
tur:

tur: non tamen uereor, ne is TIBI
omnino displiciturus sit, cum TV pro
admirabili TVA comitate, quam sem-
per adiunctam habet magnarum uir-
tutum excellentia, non tam, quid am-
plitudini TVAE conueniat, quam quid
aliorum imbecillitas ferat, considera-
re sis solitus. Erit autem, si a TE non
improbatus discessero, ea res mihi
maximo non tantum honori, uerum
etiam incitamento cum ad haurien-
dam uberiolem et exquisitiorem ha-
rum


*rum rerum scientiam, tum ad aliquid
efficiendum, quod olim a me tanquam
dignius aliquod summae pietatis erga
TE meae monumentum ILLVSTRIS-
SIMO NOMINI TVO suspendatur.
Nam, quod pietatis meae proprium
et praecipuum est, nullus dies a me
praetermittitur, quin diligentissime
faciam, ut Deum orem ac uenerer, ut
TE, COMES ILLVSTRIS-
SIME, omni
humanae felicitatis genere auctum, et
recreata ex hoc bello patria florentem,
civibus*

*ciuibus Saxoniae, maximo tum ipso-
rum gaudio, tum reipublicae bono,
quam diutissime conseruet,*

ILLVSTRISSIMO NOMINI
T V O

addictissimus cliens

Adolphus Christianus Wendlerus.



DE
OBLIGATIONE
LITERAS FEVDI REVERSALES
DANDI COHEREDIBVS.

I.

ARCTISSIMA INTER VASALLOS ET SIMVLTAÑEE
INVESTITOS CONIUNCTIO.



APTE omnino et apposite, si quid iudico, simultaneam Saxonum inuestituram, eam praefertim, quae in feudo nouo impetratur, uocant CONIUNCTAM MANVM. ^{a)} Cum enim uinculum illud, quod Vafallum inter et eos, qui huius consensu simul inuestiti sunt, intercedit, accuratius contemplor, illud uideo, arctissima

^{a)} Germanico idiomate, *die gesammte Hand, die Lehnshand, die sämtliche Belehnung*. In antiquo privilegio, quod saeculo decimo quinto datum est a Pomeraniae Duce, uocatur *die samende Hand*. Vid. IO. PETRVS A LVDWIG *Differ. Iur. Commun. et Sax. in simultanea inuestitura Diff. I. Cap. II. §. 3.*



fima quadam non tam MANVVM, ^{b)} quam ANIMORVM, CONIUNCTIONE contineri, quae ad societatem, ^{c)} imo ad FRATERNITATEM, ^{d)} proxime accedit. Nimirum FRATERNITATEM non tam SANGVINE, quam CARITATE FRATERNA, constitui, ICTI PAULI ^{e)} est sententia, et, si VLPIANVM ^{f)} consulas, ipsa SOCIETAS ius quodammodo FRATERNITATIS in se habet. Quo pacto autem uinculum illud, quod Vasallum et simul inuestitos coniungit, neci soleat, considerabimus. Iam uero ex ipsa Vasalli CARITATE et BE-NEVOLENTIA ^{g)} initium capit simultanea inuestitura. Hic enim
 si feu-

b) Nimirum appellatio CONIUNCTAE MANVS inde originem traxisse uidetur, quod in ipso inuestiturae actu tum Vasallus, tum simul inuestiendi, coniuncta manu uexilla, uel alia symbola, quibus inuestitura fiebat, comprehendere solerent. IO. SCHILTER. *Dissert. de Inuestitura Principum Imperii simultanea*, Cap. IV. §. 4.

c) Simultaneam inuestituram esse INSTAR SOCIETATIS defendit NIC. CHRISTOPH. L. B. DE LYNCKER *Vol. I. Respons. LII. num. 13.* et simultaneam inuestitos SOCIOS VASALLI uocat IO. PETR. A LVDEWIG *loc. cit.*

d) Conf. MODEST. PISTORIS *Part. IV. Quaest. CLIX.*

e) L. LVIII. §. 1. D. de Hered. instir.

f) L. LXIII. pr. D. pro Socio.

g) Hinc LÜDERVS MENCKENIUS in *Diff. de feudo ex pacto cum simultanea inuestitis alienabili Thes. XI.* docet; BENIGNITATE VASALLI et domini directi simultaneae inuestiturae beneficium donari. Et IO. GOTTLIEB SIEGEL in *Diff. de simultanea inuestitura sine consensu Vasalli impetrata* §. 13. et 15. inuestituram simultaneam BENEFICIO VASALLI impetrari, asserit. Certe mirabatur Lecter, quod hanc SIEGELII commentationem pro me excitem, cum uel solus eius titulus significet, sine CONSENSU VASALLI impetrari posse simultaneam inuestituram, adeoque labi uidetur sententia mea, quod a Vasalli beneuolentia primordium capiat simultanea inuestitura. Sed omnino inter nos conuenire, intelliget, si uerba SIEGELII ex alleg. §. 13. laudauero:
Simul.



si feudum nouum acquirit, uel ex propinquis suis, uel ex aliis, AMICITIAE et AMORIS uinculo sibi iunctis, eligit, quos domino directo offerat, ut ab eo simul inuestiantur, iisdemque spes^{b)} successione concedatur. Electi, si e re sua ducant, inire hunc nexum, consensum suum eligenti declarant, et tum BENEVOLENTIAM et LIBERALITATEM eius laudant, tum MUTUUM amorem, aliamque operam, qua Vasalli commoda promoueantur, promittunt, datis, in rei fidem, LITERIS REVERSALIBVS, quibus FUTURAE SOCIETATIS formula continetur. Et primam quidem harum literarum paginam plerumque absoluunt illae GRATI erga Vasallum ANIMI et MUTVAE BENEVOLENTIAE testificationes. Sequentes paginae reliqua conuentionis capita exprimunt. Si deinde, ⁱ⁾ facta a Vasallo, quam dicunt, praesentatione, Dominus directus electos probet, eosdemque inuestiat, plenissimam uim atque robur illa conuentione accipit, et ARCTISSIMA illa CONIUNCTIO, quae CONIUNCTAE MANVS nomine significatur, inter Vasallum et si-

A 2

multaneae

Simultanea, inquit, inuestitura in duas abit species, unam VASALLI CONSENSVS, praecedat, quae BENEFICIO ALIENO IMPETRATA, altera SINE CONSENSU illius obtinetur, et IVRE PROPRIO impetrata uocari potest. Prior feudum NOVVM, posterior ANTIQVVM supponit. Illa huius loci non est, sed hanc delineabo. Patet igitur, SIEGELIVM requirere consensum Vasalli in illa simultanea inuestitura, de qua mihi sermo. Sed de altera specie, quam ille tractat, et quam sine consensu Vasalli impetrari posse docet, disserere iam nolui.

- h) Ab hac SPE simultaneae inuestitos uocant SPERATOS VASALLOS. Vid. Io. PETRI DE LVDEWIG *Diss. alleg. pag. 1.*
- i) Nempe Vasalli plurimum interest, ut praesentatio simultaneae inuestiendorum demum inita cum his conuentione, et exhibitis literis reuersalibus, fiat. Causam exponit Io. GOTTL. SIEGEL. *Diss. I. de Literis reuersalibus §. X.*



multaneæ inuestitos contracta dicitur. Habes quandam SOCIETATEM, habes FRATERNITATEM, si non sanguine, MUTVA tamen CARITATE, MUTVOQVE AFFECTV coniunctam.

II.

A LIBERA VOLVNTATE EIVS, QVEM VASALLVS ELIGIT, PENDET, AN ILLAM CONIVNCTIONEM INIRE, ET LITERIS REVERSALIBVS SE OBSTRINGERE VELIT.

QVOCVNQVE demum nomine negotium illud, quod Vasallum inter et simul inuestiendos peragitur, insignire uelis,^{a)} sponte patebit, liberum eius, cui Vasallus communionem coniunctæ manus offert, esse arbitrium, utrum huic uinculo, literas dando reuersales, obstrictum sese reddere, an uero illud declinare uelit. Literæ enim reuersales, quod copiosius exponunt auctores, qui doctrinam hanc ex instituto tractant,^{b)} sunt conuentiones. Iam uero in omni conuentione, siue ad pactorum, siue ad contractuum genus referatur, liber partium consensus, si regulam iuris spectes,^{c)} requiritur, neque ad paciscendum,

a) Sunt enim, qui donationem mortis causa, qui contractum innominatum, ino qui quasi contractum esse dicant receptionem in simultaneam inuestituram. Vid. MODEST. PISTORIS *Parr. IV. Quæst. CLIX. num. 12. sequ.* Alii pactum appellant. Conf. LÜDERI MENCKENII *Diss. de feudo ex pacto cum simultaneæ inuestitis alienabili, §. 2. et 5. sequ.*

b) IO. GOTTL. SIEGEL. in *binis Diss. de literis feudi reuersalibus*. GABRIEL SCHWEDER in *Diss. de Dinumeramentis et literis feudi reuersalibus*. IO. BERNH. FRIESE in *Diss. de literis feudi reuersalibus*. LÜD. MENCKENIVS in *Diss. alleg. aliique*.

c) L. XLI. C. de *Transact.* ibi: libero arbitrio et uoluntate. L. XI. C. de *contrah. Emr.* L. XVI. C. de *iure deliberandi*.



dum, aut contrahendum quemquam adigi posse, manifestum est. Hinc placitorum feudalium interpretes in eo fere conueniunt omnes, quod simultanea inuestitura perficiatur tum Vasalli et domini directi, tum etiam SIMVLTANEE INVESTIENDI, CONSENSV. ^{d)}

III.

EVENIRE TAMEN POTEST, VT QVIS AD DANDAS
LITERAS REVERSALES COGATVR. SPECIES
PROPONITVR, QVAE TRACTATIONI
CAVSSAM DEDIT ET
MATERIAM.

VEREOR, ne ista contra me ipsum disputasse dicar. Si enim literas reuersales dare liberi sit arbitrii, superuacanea uidetur meditatio de obligatione ad dandas literas feudi reuersales, imo parum aberit, quin ipse mihi minus recte constare uidear. Sed salua res est. Manet quidem regula, neminem ad paciscendum aut contrahendum, adeoque nec ad dandas literas reuersales obligari. Verum, ut nulla fere iuris regula, recte id monente CARPZOVIO, ^{a)} tam firma est, quae non admittat exceptionem, si ratio specialis a iure regulari recedere iubeat, sic ista quoque regula, pro uarietate casuum et circumstantiarum, fallit, seu ut uerbis PAVLI ^{b)} utar, officium suum perdit. Nam fieri interdum potest, ut quis ad contrahendam cum Vasallo obligationem,

A 3

tionem,

d) GOTTL. GERH. TITIVS *Iur. Priuar. Rom. Germ. Lib. XI. Cap. VI. §. 5.*
GEORG. AD. STRVVIVS *Syntagm. Iur. Feud. Cap. IX. §. 14. in fine.*

a) BENED. CARPZOVIVS *Decis. LXV. num. 14. et Decis. CXLIII. num. 22.*

b) L. I. D. de Reg. Iur.



tionem, et ad dandas literas reuerfales perfecte obligetur. Ipse ego interfui difputationi forenfi, qua de hoc argumento acriter difceptabatur, et tandem Dicasterii confenfu firmabatur haec, quam defendi, fententia. Breuem igitur controuerfae, quae tunc agitabatur, defcriptionem accipe. Moritur Titius, relicto tum filiis, tum filiabus, relicto patrimonio lauto, quod partim allodium, partim feudum, comprehendit, relicta etiam ultima uoluntate, qua duas filias in feudo promifcuae fucceffionis, cuius pretium teftator ipfe definiuit, reliquos uero liberos in allodialibus bonis, facta et horum aestimatione, fuccedere iubet, addita lege, *daß der Werth fämmtlicher Erbschafts-Stücken, samt dem Betrage der ganzen Verlassenschaft zufammen in eine Summe gebracht, und die ganze Summe zu gleichen Theilen vertheilet werden folle.* Liberi omnes nihil prius habent, quam ut pietati, defuncto patri debitae, exacte faciant fatis. Conueniunt, et, ut iuxta normam uoluntatis paternae hereditas diuidatur, omnem dant operam. At inter coheredes dubium, magni utique momenti, oritur. Filiae, quibus pater feudum addixerat, conqueruntur, portionem fuam, licet calculus eandem quantitatem, quam reliqui heredes capiant, contineret, ceteris tamen portionibus minime aequalem fore, cum illi immixtum fit pretium feudi, nifi facto coheredum id agatur, ut liberam de feudo difponendi facultatem ipfae nancifcantur. Inftant, duplici forte modo hunc fcopum attingi poffe, nempe fi uel ab uniuerfis heredibus dominus directus imploretur, ut gratiofo decreto fuo feudum illud in allodium conuertat, uel,
 fi re-



fi renuat dominus directus, ceteri coheredes simultaneae inuestiturae communionem continuent, et literas reuerfales exhibeant, quibus libera de feudo disponendi facultas istis permittatur. Simul offerunt formulam futuri pacti, *ein Project zum Lebens-Revers*, neque dubitant, coheredes illi facile subscripturos esse. Partem huius formulae adscripsisse iuuabit: *Und denn wir als leibliche Kinder das Factum unsers seligen Vaters denen Rechten nach zu praestiren, sowohl der vaterlichen Disposition zu Folge, gleiche Erbtheile zu machen verbunden seyn; Als acceptiren wir - - - und versprechen, die würrckliche Conferirung der gesammten Hand auf unsere Kosten geböriß auszuwürcken, verpflichten uns kraft dieses vor uns und unsere eheliche Leibes-Lebns-Erben, - - - daß wir und unsere Erben I) schuldig und gehalten seyn wollen, diese Mitbelehnenschaft jedesmahl und so ofte die Lehn zu Falle kommen möchte, gebührendermaßen in behöriger Frist und auf unsere Kosten zu verfolgen, - - - geloben auch II) solche Mitbelehnenschaft ohne unserer Frauen Schwestern und ihrer Erben Genehmbaltung nicht zu refutiren, oder uns deren sonst sub quocunque titulo zu begeben, oder auf andere zu transferiren, vielweniger durch unterlassene Befolgung der gesammten Hand, so oft solche nach Vorschrift der Lehn-Rechte erforderlich, oder durch einigen Lebens-Fehler derselben verlustig zu machen, widrigenfalls aber den daher entstehenden Schaden und Verlust genzlich zu vergüten, und ob uns gleich also an denen Güttern die gesammte Hand zugestanden worden, so soll dem ohngeachtet III) unsern Frauen Schwestern*
völlig



völlig freygelassen, und unbenommen seyn, mit sothanen Lehn-
 Güthern und was denenselben zugehörig, nach beliebigen Gefallen
 und Gutachten, nicht anders, als mit einem wahren ungebun-
 denen Eigenthum und Erbe zu schalten und zu gebahren &c.
 At coheredes fecus sentiunt. Detrectant, tum continuare com-
 munionem coniunctae manus, tum exhibere literas reuersales,
 et, ne temere, et contra patris uoluntatem, agere uideantur,
 exponunt dissensus sui causas, quarum haec est summa, patrem
 in ultima dispositione sua tantum utrique filiae feudum, pro
 pretio definito, assignasse, sed nihil de exhibendis literis feudi
 reuersalibus, nihil de renouatione inuestiturae simultaneae,
 praecepisse, adeoque minime sese obligari ad utrumque onus
 subeundum. Maximo enim oneri sibi futurum esse, si deinceps
 ex pacto ad renouationem inuestiturae, quouis eueniente
 casu, suis impensis, petendam, obligarentur, spes uero succes-
 sionis sibi nulla, aut certe dubia, superesset. Amice inter co-
 heredes componi non potest haec controuersia, hinc illa defertur
 ad iudicium. Partes inter se disceptant strenue. Altera quidem
 pro obligatione ad dandas literas reuersales, altera uero contra.
 Tandem disceptationi intercedit Scabinorum Lipsiensium sen-
 tentia: *Daß N. nebst seinen übrigen Miterben und deren Vor-
 mündern gegen die beyden Töchter N. und N. wegen der ihnen
 in dem 1^{ten} §. des väterlichen letzten Willens zugetheilten Güter,
 nach dem Entwurfe fol. und auf die darinnen auch in dessen
 andern §. ausgedruckte Masse, oder sonst dergestalt, daß besagte
 beyde Töchter und deren Erben, in Ansehung deren Erb-Antheils,
 so weit*



so weit sie es an Ritter-Guth und Lebn erhalten, und wegen dessen ungehinderter willkührlichen Veräußerung, zu welcher Zeit es ihnen gefällig seyn möchte, denen übrigen Erben, allenthalben gleich gesetzt werden, sich verbindlich zu machen schuldig. Ecce Lipsiensis Scabinos mecum sentientes, OBLIGARI COHEREDES AD LITERAS FEVDI REVERSALES, DANDAS IIS, QUIBUS PATER, IN SUPREMO IVDICIO, FEVDVM AESTIMATVM IN PARTEM HEREDITARIAM IMPVTAVIT. Singulare profecto, et, nisi fallor, dignum est publica tractatione, argumentum. Quare in eo copiosius exponendo ita uerfabor, ut primum argumenta, quae illam coheredum obligationem corroborant, proponam, deinde, quae contrariam sententiam firmare uideantur, commemorem, et quantum, pro ingenii modulo, fieri potest, diluam.

IV.

LIBERI DISPOSITIONEM PATRIS, QVA FEVDVM, ETIAM ANTIQVVM, FILIABVS ATTRIBVIT, SERVARE, EAMQVE EXACTE IMPLERE TENENTVR.

EXPEDITVM est, patrem de feudo, siue nouum sit, siue antiquum, recte disponere posse inter liberos, hosque, si in allodio succedere uelint, uoluntatem paternam agnoscere, eamque exacte implere oportere. Hoc tum iuri feudali Longobardico, tum etiam Saxonico, conuenit, et praeterea Doctorum consensu firmatur. ^{a)} Hinc Ordo ICtorum Vittembergensis,

B

teste

^{a)} BENED. CARZOVIVS *Lib. VI, Respons. XV. num. 23. sequ.* CHRIST. WILD-VOGEL



teste WERNHERO, ^{b)} testamentum, quo pater feudum antiquum uni ex filiis addixerat, sustinuit, adiecta ratione: *Dieweil in denen Cbur-Sachsischen Constitutionibus, insonderheit in dem Torgauischen Ausschreiben gar deutlich versehen, daß die Söhne die vom Vater beschriebene Veräußerung, auch altväterlicher Stamm-Güter, zu hinterziehen nicht befugt, sondern dieselbe vor genehm zu halten verbunden, daraus die Doctores gar wohl inferiren, quod pater de feudo etiam per Testamentum disponere, et uni ex filiis id assignare possit, ita, ut reliqui patris facto contrauenire nequeant.* Et idem Ordo, BERGERO ^{c)} teste, dispositionem de feudo, qua pater ordinem succedendi praescripserat, pro ualida declarauit, ideo, *weil die Söhne ihres Vaters, Sempronii, factis dießfalls sich zu widersetzen und selbige zu sechten nicht befugt, da besonders dem Vater, auch in feudo antiquo, dergleichen Dispositio testamentaria, so weit dadurch der Söhne Legitima nicht verletzt wird, ohne Lebensherrlichen Consens zu verstaten.* Hinc etiam, quod maxime ad hanc, quam propono, litem, spectat, HORNIVS ^{d)} docet, filios, quotquot superint, si pater feudum FILIAE assignet, in hac patris uoluntate acquiescere debere. Atque hoc quidem ita est accipiendum, ut liberi non solum uoluntati paternae, quatenus

EXPRES-

VOGEL Respons. CC. XXV. num. 20. sequ. SAM. STRYKIVS de Cautel. Testam. Cap. II. Membr. II. §. XXIII.

b) IO. BALTH. L. B. DE WERNHER *Select. Obseru. For. Part. II. Obs. CCCCLI.*

c) IO. HENR. N. D. DE BERGER *Part. II. Respons. CCLIV.*

d) CASP. HENR. HORNIVS *Iurisprud. Feud. Cap. XIV. §. X.*



EXPRESSA est, obtemperare, sed etiam ea, sine quibus haec uoluntas ad effectum, quem pater intendit, perducere nequit, peragere teneantur. In testamentis enim non tam ad VERBA, quam ad testatoris INTENTIONEM, est respiciendum, adeoque ex eius mente et affectu uerba, quae MINVS exprimere uidentur, PLENIVS sunt explicanda.^{e)} Iam ad Titium, testatorem, redeo. Hic quidem in illa testamenti parte, qua feudum ad duas filias peruenire uoluit, nihil diserte disponit de renouatione simultaneae inuestiturae, et de exhibendis literis reuersalibus. Si tamen mens et affectus Titii, praesertim erga filias illas, quibus feudum assignauit, consideretur, nullum superest dubium, cum reliquos heredes obligare uoluisse, ut, quocumque modo fieri posset, utrique filiae talem quodammodo feudi conditionem praestarent, quae, quoad liberam disponendi de eo facultatem, quam proxime accederet ad qualitatem allodii.

V.

LIBERI, NISI PATER ALIUD EXPRESSE VOLVERIT,
SIBI INVICEM PARTES AEQVALES
PRAESTARE TENENTVR.

IN diuisione hereditatis, si quaestio est, quantam partem capere debeat quilibet coheredum, semper, nisi defunctus aliud expresserit, uincit PRAESUMPTIO AEQUALITATIS.^{a)} Nam
B 2 inquit

^{e)} L. LXIX. D. de Legatis 3. L. XII. D. de Reg. Iur. ANDR. HOMBOURGIVS Consil. Helmstad. Respons. CXCV. num. 9. sequ.

^{a)} De hoc argumento egregie commentatur B. CHRIST. LYDOV. CRELLIUS in *Dissert. de Praesumptione aequalitatis in iudiciis diuisorijs* §. 7.



inquit VLPIANVS: ^{b)} *Heredes iuris successores sunt, et si plures instituantur, diuidi inter eos a testatore ius oportet, quod si non fiat, omnes AEQUALITER heredes sunt.* Cuius aequalitatis ratio tunc potissimum habenda, si LIBERI de diuidenda hereditate PARENTVM inter se agant, quoniam, si qua dubitatio incidit, illud existimare debemus, parentem liberos suos AEQVE dilexissē. Clare Imperator PHILIPPVS: ^{c)} *Inter filios et filias bona intestatorum parentum pro uirilibus portionibus AEQVO IVRE DIVIDI oportere, explorati iuris est.* Et Imperator CONSTANTINVS ^{d)} liberos omnes, PARES esse uoluit in successione parentis, eosdemque iussit, ultimae eius uoluntati, licet haec solennitate legum sit destituta, morem gerere. Hanc PRAESUMTIONEM AEQUALITATIS aliquando defenderunt ICti Vitembergenses in Responso, quod publici iuris fecit HORNIVS. ^{e)} Responso uerba sunt haec: *Die weil der Defunctus in seinem letzten Willen, daß die 8000. Fl. welche das Antheil num. 3. 4. 5. herauszugeben hat, ohne Interims-Verzinsung in diesen Gütern stehen bleiben sollen, ausdrücklich verordnet, hingegen aber von der Verzinsung aus dem Erbe nicht das allgeringste darinnen enthalten, hierüber ALLERDINGS ZU VERMUTHEN, daß der Testator die zur Herausgabe vor die andern beyden Theile destimirte 9000. Fl. baar und 8000. Fl. aus denen Gütern*

b) L. IX. §. 12. D. de hered. instit.

c) L. XI. C. Famil. Erscf.

d) L. XXVI. C. eod.

e) CASE. HENR. HORNIVS Class. IV. Responf. XII.



Gütern 3. 4. 5. so in 2. Jahren ohne Verzinsung zu bezahlen, unter denen beyden übrigen Söhnen dergestalt vertheilet wissen wollen, daß ein jeder davon IN QUANTO ET QVALI so viel als der andere bekommen solle, censetur enim pater aequalitatem seruare inter liberos, nisi aperte de alia uoluntate constet, zumahl da auch obuedies in denen Rechten versehen, daß, wenn zweene sich in etwas theilen sollen, solches in dubio zu gleichen Theilen, oder DE AEQUALIBVS PARTIBVS zu verstehen, dieses auch in praesenti quaestione um so mehr statt findet, weil gar keine coniectura circa inaequalitatem, patris uoluntate introductam, angegeben werden kann. Ex quibus, uel me non mouente, efficitur, etiam testatorem Titium perfectam aequalitatem inter liberos suos intendisse, neque uoluisse, ut duae eius filiae, accipiendo feudum, ulla parte deteriorem conditionem subeant, et minus capiant ex hereditate paterna, ac ceteri heredes. Imo, ne quis de uoluntate eius dubitare possit, ipse in testamento legem de seruanda AEQUALITATE liberis dixit. Repetam uerba: daß der Werth sämtlicher Erbschafts-Stücke, samt dem Betrage der ganzen Verlassenschaft zusammen in eine Summe gebracht, und die ganze Summe ZU GLEICHEN THEILEN VERTHEILET WERDEN SOLLE.



VI.

PARTEM AEQVALEM NON HABET COHERES, CVIVS PORTIO
FEVDVM COMPLECTITVR, LICET HAEC, QVANTITATE
SVA, ILLI, QVAM CETERI CAPIVNT,
AEQVALIS SIT.

RECTE omnino, nec sine ratione, ICTi Vitembergenses in Responso, quod excitauit, aiunt, praesumi, patrem uoluisse, ut quilibet liberorum aequalem partem capiat in QVANTO et QVALI. Nimirum aequalitas portionum hereditariarum non modo ex QVANTITATE, sed etiam ex QVALITATE sua, est aestimanda. Etenim, licet unius heredis portio alterius heredis parti, quoad QVANTITATEM et CALCVLVM, sit aequalis, in illa tamen, si QVALITATEM BONORVM, quorum pretium ei immixtum est, respicis, manifestam INAEQVALITATEM interdum deprehendes. Hoc praesertim fit, si in alterius heredis parte PRETIVM FEVDI, quod testator ei assignauerat, est comprehensum, reliquorum uero heredum portiones nihil, NISI ALLODIVM, complectuntur. Sic enim, ut hoc utar exemplo, alter, qui triginta millia, COMPREHENSO FEVDO, accipit, minus habet altero coherede, qui et ipse triginta millia capit EX ALLODIO. Causa inaequalitatis ducitur ex diuersa FEVDI et ALLODII indole. Is, cuius portio ex allodio tantum constat, liberrimam de eo disponendi habet facultatem, adeoque ea bona, utcumque libuerit, uendere, oppignorare, permutare, cetera, potest, idque, ui PLENI DOMINII. Quam arctis contra limitibus sit circumscripta potestas disponendi



nendi de feudo, nostri. Ipsa enim appellatio DOMINII VTI-
LIS, quod Vasallus in feudo habere dicitur, satis exprimit,
MINVS PLENVM eius esse ius, et saltem PARTEM DOMINII,
cum altera pars DOMINO DIRECTO competat, sine cuius
consensu vasallus nullum actum siue inter uiuos, siue mortis
caussa, suscipere possit, quo uel deterius feudum fiat, uel plane
alienetur. Imo illi semper metuendum est, ne, cum sine libe-
ris moriatur, feudum aut ad dominum, aut ad simultanee inue-
stitos, deuoluatur. Quae quidem potissimum sunt attendenda, si
in controuersis feudi testamentariis uera AESTIMATIO FEVDI
est definienda. Pertinere huc uideretur quaestio illa, si filius, ex
ultima patris uoluntate, qua feudum legauit, huius aestimatio-
nem legatario praestare damnatus est. Qualis calculus tunc sit
conficiendus, praeclare docuit CRELLIUS, Vir ingenio, me-
ritis et fama, post fata adhuc Illustris, cuius uerba,^{a)} cum ad
institutum meum multum faciant, adscribam: *Igitur, feudo
legato, plerumque aestimatio debetur. Sed habet aliquam diffi-
cultatem, QUOMODO AESTIMANDVM SIT FEVDI PRE-
TIVM, cum illud inter DOMINVM DIRECTVM et VASAL-
LVM quodammodo diuisum sit, adeoque iure quodam, quod
DOMINIO PROXIMVM sit, non PLENO DOMINIO, pertineat
ad testatorem. Et disputatione uix indiget, non TOTAM
AESTIMATIONEM FEVDI legatario deberi, sed deducendum
esse PRETIVM DOMINII DIRECTI, id est, exquirendum esse,
quanti*

a) CHRIST. LVD. CRELLIUS in *Diff. Virum feudo legato eius aestimatio
debeat?* §. V.



quanti res MINORIS uendi possit, quod fundus NON AD OMNES HEREDES, sed ad quosdam tantum successores transmitti, adeoque aliquando reuocari, atque ad dominum reuerti possit. In qua computatione etiam ad numerum proles, qua munita sit immortalitas familiae, aut ad numerum simultanee inuestiendorum, qui a domino directo admitti soleant, respiciendum est, ut TANTO MINVS legatario praestetur, QUANTO CITIVS feudum, si illud a domino directo nactus esset, ab eius posteris et simultanee inuestiendis reuocari posse, et quanto minus illud legatario utile futurum esse uideatur. Haec omnia, si CONVENTIONE res confici non possit, ARBITRIO IUDICIS definiuntur. Iam reuertor ad Titii filias, ad quarum portionem etiam feudi aestimatio, ex testatoris uoluntate, refertur. Ex iis igitur, quae tum meis, tum B. CRELLII, uerbis dixi, facile intelliges, utramque filiam MINVS capere pro portione sua, ac cereri heredes, nisi hi, quantum in illis sit, sua conuentione id agant, ut illae liberam de feudo disponendi facultatem nanciscantur.

VII.

MVTATIO FEVDI IN ALLODIVM PENDET A GRATIA
DOMINI DIRECTI.

VERVM alia adhuc patere uidetur uia, qua liberrimam disponendi facultatem acquirere Vasallus possit, nempe, si dominus directus, ut feudum in allodium commutet, imploretur, quem



quem actum *die Vererbung*,^{a)} *Verwandlung des Lebens in Erbe*, et latino idiomate APPROPRIATIONEM,^{b)} uocant. Hanc scilicet mutationem, ad Vasalli preces, agnatis uel simultanee inuestitis consentientibus, a domino directo fieri posse, dubio caret. c) Sed, utut patula uideatur, uere lubrica haec est uia et exitu facile caritura. Vti enim petere licet Vasallo, ita domino directo integrum est, repulsam dare. Nimirum mutatio feudi in allodium, ut tollit nexum feudalem, ita cum renunciatione dominii directi est coniuncta. Hinc intelliges, a liberalitate plane et gratia domini directi pendere, an iuri suo renunciare uelit, nec ne, adeoque facile euenire posse, ut spes uasalli supplicis intercipiatur, si uel haec, uel illa, causa, quod fit, liberalitatem dissuadeat.

VIII.

SIMULTANEE INUESTIENDOS DOMINO PRAESENTARE
POTEST VASALLVS SALTEM IN FEVDO NOVO.
FEVDVM, QVOD PATER VNI EX LIBERIS ADDIXIT,
NON FIT NOVVM, SED MANET
ANTIQUVM.

NEQVE tutum satis esset, imo parum conueniens, quod quis forsitan suggerere posset, consilium, ut Titii filiae, quibus

C

pater

a) Hinc literae, quibus haec concessio fit a domino directo, dicuntur *Vererbungs-Briefe*. Formulam harum literarum, itemque formulam, qua peti solcat *die Vererbung*, exhibet IAC. BORNIVS in *Diss. de transmutatione feudi in allodium*, §. III.

b) ANDR. GAILIVS *Lib. II. Obs. CLVIII. num. 4.*

c) VIJ. CASP. HENR. HORNIUS *Iurisprud. Feud. Cap. IV. §. XLI.*



pater feudum proprium esse uoluit, alios, uel ex gente sua, uel extraneos, adeant, hosque sibi concilient, ut communio- nem coniunctae manus ineant, datis literis reuerfalibus, quae legem communionis dicant. Est quidem, fateor, parata Vafallis gratia et indulgentia Serenissimorum Electorum Sa- xoniae, quorum sanctionibus ^{a)} certum temporis spatium de- finitur, intra quod uafallis simul inuestiendos offerre permitti- tur. Istaec uero sanctiones diserte exprimunt, hoc beneficium saltem indulgeri uafallo, qui NOVVM FEVDVM acquisiuit, *dem Besizer eines neu acquirirten Lehn- Guths*, adeoque beneficio locus non est, si feudum, elapso sexennio, gratiose concessio ^{b)} per successionem in descendentes sit translatum, quod ANTI- QVI feudi nomine uenit. Neque immutatur haec conditio, si per diuisionem, aut, ui dispositionis paternae, feudum uni ex liberis relinquatur. Tunc nouum non fit, sed antiquum manet. Docet id Decretum Regium: ^{c)} *So können auch S. Königl. Maj. nicht gestatten, daß in dem Fall, da, wie gemeldet, ein Mitbe- lehnter, nebst andern in Lehn zugleich succediret, und derer übrigen ihre Antheile abhandelt, weder das ganze Lehn, noch auch*

a) *Lehn Mandat de d. 12. Nou. 1691. §. 5. in COD. AVGVST. Tom. I. pag. 1974.*
 DECRETVM REGIVM *de d. 8. Febr. 1700. in COD. AVG. Tom. I. pag. 366.*
 MANDATVM REGIVM *de d. 17. April. 1700. in COD. AVG. Tom. I. pag. 1975.*

b) Si enim primus acquirens intra sexennium moriatur, descendentibus eius haec facultas conceditur, usque ad finem sexennii, in DECRETO REGIO *de d. 8. Febr. 1700. in COD. AVG. Tom. I. pag. 366.*

c) DECRETVM REGIVM *iam alleg.*



auch die erhandelten Stücke PRO NOVO FEVDO zu achten, und deswegen neue Mitbelebnte anzugeben freygelassen sey, quod idem repetitur in Mandato Regio^{d)} recentiori.

IX.

PACTO SIMVLTANEE INVESTITORVM CVM VASALLO
EFFICI POTEST, VT HIC LIBERAM DE FEVDO
DISPONENDI FACVLTATEM
HABEAT.

ILLVD unum igitur superest, quo controuersia, inter Titii heredes mota, praescindi, et aequalitas portionum hereditariarum praestari possit, ut in commodum filiarum, in feudo succedentium, reliqui coheredes, per conuentionem, seu LITERAS REVERSALES, se suosque successores ad renouandam, tum praesenti, tum etiam futuro quouis casu, simultaneam inuestituram obligent, simulque istis, Titii filiabus, liberam de feudo disponendi facultatem permittant. Quod quidem a coheredum potestate pendere eo minus dubitabis, quo certior spes facta est in Constitutione Electorali Saxonica,^{a)} simultanee inuestitis, licet per diuisionem feudi inuestitura simultanea rupta fuerit, eius tamen renouationem, si petatur, non denegatum iri. Satis clementer Serenissimus Elector: *Gleichergestalt, so wird die gesammte Hand und Anwartung durch die Theilung der Lehn-gütber, vermöge Sächsischer Rechte, gebrochen, und derowegen sollen die, so sich getheilet, und hiebevör die gesammte Hand ge-*
C 2 *habt,*

d) MANDATVM REGIVM de d. 17. April. 1700. in COD. AVG. Tom. I. pag. 1275.

a) CONSTIT. ELECT. SAXON. XLV. Part. II.



habt, alsdenn anderweit Verneuerung des Gesammtnisses in gebührlicher Frist erlangen, die ihnen auch unweigerlich geliebet werden soll. Et hoc etiam, si feudum non diuisum, sed uni ex liberis pro certo pretio relictum sit, locum habere, CARPZOVIVS^{b)} testatur et HORNIVS.^{c)} Praeterea eiusmodi pactiōnem de libera Vasalli dispositione licitam omnino esse, imo, etiamsi a domino directo non sit confirmata, robur suum habere, non modo Doctorum, ex quibus praesertim LÜDERVM MENCKENIVM^{d)} et HORNIVM,^{e)} Duumuiros rerum feudalium peritissimos, nomino, consensu, sed etiam Saxonicae legis auctoritate, firmatur. ^{f)}

X.

EX IIS, QVAE DICTA SVNT, COLLIGITVR, COHEREDES
AD DANDAS LITERAS REVERSALES OBLIGARI.
CONSENSVS SCABINORVM
LIPSIENSIVM.

IAM uero, si colligantur omnia, quae proposui, huius rei argumenta, si perpendas, liberos primum Titii ad dispositionem, etiam quatenus ad feudum pertinet, agnoscendam, eamque exacte implendam teneri; deinde illos sibi inuicem, tum
ex

- b) BENED. CARPZOVIVS *Iurisprud. For. Patr. II. Const. XLV. Def. XXV.*
- c) CASP. HENR. HORNIVS *Iurisprud. Feud. Cap. XVII. §. VIII.*
- d) LÜDER. MENCKENIVS *Diss. de feudo ex pacto cum simultanee inuestitis alienabili §. XX.*
- e) CASP. HENR. HORNIVS *Iurisprud. Feud. Cap. XII. §. XXIX.*
- f) ORD. PROC. SAX. RECOGN. *ad Tit. XL. §. III.*



ex legum praescripto, tum ex ipsa patris uoluntate, partes aequas praestare debere; tum partem hereditariam, cui feudi aestimatio adiecta est, reliquis portionibus, quae ex allodio tantum constant, minime exaequari, nisi filiabus, quae feudum capiunt, libera disponendi de eo facultas relinquatur; Si porro cogites, quod in Vassallorum potestate non sit, id efficere, ut feudum in allodium conuertatur, sed hoc a sola domini directi gratia pendeat; tandem quod liberis, in feudo succedentibus, non amplius liceat, nouos, qui simul inuestiantur, domino directo offerre; denique quod partes hereditatis iustae et aequae alia ratione effici non possint, quam per literas reuerfales coheredum. Quod si haec omnia consideres, non poteris non intelligere, coheredes, ad rem eiusmodi conuentione definiendam, omnino teneri, atque, si nolint, iudicis auctoritate compelli posse. Quod ipsi censuerunt Scabini Lipsienses, quorum Responsum supra ^{a)} recensui. Ut plenius intelligas, quid ii senserint, qui ita de iure responderunt, decidendi rationes adscribam, quae responso sunt adiectae: *Dieweil, nach Eigenschaft derer Ritter- und Lehn-Güter, deren Besitzer daran nicht das völlige unumschränckte, sondern nur das nutzbare Eigenthum überkommt, daneben bey deren etwa vorhabender Veräußerung dabey diejenige freye Hand nicht hat, welche denen Besitzern blosser Erbgüter zustehet, in dessen allen Betrachtung aber diesfalls die beyden N. Töchter, so mit ihrem Erbtheil vorzüglich aufs Lehn von dem Vater*

C 3

Vater

a) Supra §. III. circa finem.



Vater angewiesen worden, übler berathen seyn würden, als deren Miterben, welcher Antheile kein Lehngut sind, woferner nicht diese, so wie sie dazu der 8. §. der vaterlichen letzten Willens-Verordnung verbindet, der hierunter sich aussernden Ungleichheit, auf andere Art abhelfliche Maaße geben, und dann dieses füglich durch dergleichen Erklärungen, als in dem Entwurff fol. enthalten, geschehen kann, besonders aber das in dieses 2^{ten} §. begriffene Versprechen ^{b)} zu Hebung des Besorgnisses dienet, daß ausserdem der Fall sich ereignen möchte, da die Besitzer von dem Rittergute N. und Zubehörungen an dessen willkürlicher Veräußerung durch ihrer Miterben oder deren Erben Schuld, der im vaterlichen letzten Willen zu erkennen gegebenen Absicht, in geordneter Gleichheit, entgegen, dereinst verhindert würden.

XI.

DISPOSITIONI PATRIS DE FEVDO NON OBSTAT TEXTVS
IVRIS FEVDALIS LONGOBARDICI. CARPZOVII
SENTENTIA REFVTATVR.

QVIBVS potissimum argumentis corroboretur haec, quam defendo, sententia, supra iam dixi. Superest, ut argumenta, quae contrariae sententiae fauere uidentur, expediam. Iamque primum difficultate aliqua impedire me uidentur ii, qui dubitant, an ualeat illa Titii dispositio, qua feudum non ad filios, sed ad filias, peruenire iussit. Ea nimirum corridente, tollitur ipsa disputatio de obligatione coheredum ad dandas literas reuerfales.

^{b)} Lege uerba supra §. III. recitata.



fales. Est uero iuris feudalis Longobardici uox: ^{a)} *Si quis decesserit, filius et FILIABVS superstitibus, succedunt TANTVM FILII aequaliter, NULLA ORDINATIONE DEFVNCTI IN FEUDO MANENTE VEL VALENTE.* Atque cum ex iuris feudalis interpretibus, quid sentiant, quaesiueris, passim ex illis audies, testamentum patris de feudo plane sustineri non posse. Ex illis nobis sententiam suam dicat CARPZOVIVS: ^{b)} *Inualida est, inquit, ordinatio defuncti in feudo, quae ius aequaliter succedendi filiis aufert, vel deminuit.* Et alio loco: ^{c)} *In feudis successio testamentaria nullum sibi uindicat locum, proinde, licet pater expresse in testamento disposuerit, ut in feudum liberi inaequaliter succedant, dispositio tamen nulla erit; parili ratione efficitur, ut pater VNI EX FILIIS FEVDVM NON POSSIT ASSIGNARE.* Sed ista difficultate facile me expediam. Larior quidem, minus ualidam esse patris de feudo dispositionem, quae uel domini directi, uel agnatorum et simul inuestitorum iuri, ulla ex parte, deroget, sed quomodo, quaeso, improbare poteris eam dispositionem patris, qua liberis suis, simul hereditibus in allodio, legem dixit, saluis ubique tum domini directi, tum agnatorum et simultanee inuestitorum, iuribus. ^{d)} Et hac quidem ratione explicandum esse textum iuris Feudalis Longobardici,

a) I. F. §. pr.

b) BENED. CARPZOVIVS *Lib. VI. Respons. CXVI. num. 2.*

c) IDEM *Disput. Feud. Post. VIII. XVI. et XVII.*

d) Conferri merentur, quae de hoc argumento disseruit CHRISTOPH. LVDOV. CRELLIVS in *Diss. Vtrum feudo legato eius aestimatio debeat?* §. III. et IV.



gobardici, quem excitavi, eo certius affirmare possum, quo fortius est argumentum, quod ex aliis huius iuris capitulis^{e)} ducitur, liberos, cum in feudo succedere uelint, ut in allodio quoque heredes fiant, esse compellendos; hinc eos obligari, ut patris uoluntatem agnoscant, qua, de feudo quid fieri uoluerit, declarauit. Idem hoc argumentum praebent Leges Saxonicae.^{f)} Quare SIEGELIVS, utriusque huius iuris praeceptis commotus, docet: *Interdum Vasallus sine consensu domini, agnatorum uel simultanee inuestitorum, ualide per ultimam uoluntatem intuitu feudi disponit; ita Vasallus, qui INTER LIBEROS testatur, et VNI FEVDVM RELINQVIT, alteri aliam rem, non habito respectu, an feudum sit nouum, an uero ex pacto et prouidentia tale, domini, agnatorum et simultanee inuestitorum consensu non eget, liberi enim utroque casu in feudum iure hereditario succedunt, et heredes patris fieri debent, proinde factum patris seruare tenentur. Dubio itaque caret, filios teneri ad exsequendam dispositionem testamentariam patris uel matris, qua eis iniungitur, VT FILIAS ADMITTANT AD FEVDVM.* Haec ille; nunc, qui supra contra me pugnare uidebatur, CARPZOVIVM, sibi ipsi alio loco contrarium, facili negotio uincam. Argumentum ille, quo suam sententiam corroboret, ducit ex laudato textu Iuris Longobardici. At ipse rationem huius textus

e) II. F. 45. et II. F. 51. §. 4.

f) CONSTITVT. ELECT. XLV. Part. II. CONSTITVT. INED. IV. EDICT. TORGAU. Tit. Welchergestalt die Agnaten §. setzen, ordnen, et §. da aber,



tus in eo contineri tradit,^{g)} quod Vasallo permittendum non fit, per testamentum domino directo uasallum alium obrudere, et agnatis ius quaesitum auferre. Haec autem ratio cum in dispositione patris inter liberos plane cesset, haud obscure statuere uideatur CARPZOVIVS,^{h)} ad dispositionem patris de feudo inter liberos plane producendum non esse textum illum, cum in ea nihil agatur, quod uel Domini directi, uel agnatorum, uel denique simul inuestitorum iura interuertere uideatur. Imo alio loco ⁱ⁾ luculenter docet, Vasallum iure tum communi, tum Saxonico, inter liberos de feudo recte disponere, eosque patris dispositionem impugnare plane non posse; quam sententiam ut confirmet, addit Responsum Scabinorum Lipsiensium, in quo definitur hoc, FILIOS debere uoluntatem patris habere ratam, in qua de feudo in commodum FILIARVM disposuerat. Quae uero sit ICTorum Vitembergensium sententia, ex Responso, quae apud BERGERVM et WERNHERVM leguntur, supra^{k)} attulimus.

XII.

SENTENTIAM DE OBLIGATIONE AD RENOVANDAM IN
COMMODO ALTERIUS INVESTITURAM NON EVERTIT
ILLA REGULA: BENEFICIUM INVITO
OBTRUDI NON POSSE.

HVIC porro sententiae, quod heredes ad continuandam
D simul-

g) IO. GOTTL. SIEGEL. *Princip. Iur. Feud. Cap. XI. §. VII. Add. SAM. STRYKIVS Exam. Iur. Feud. Cap. XIV. Quaest. V.*

h) BENED. CARPZOVIVS *Disput. Feud. V. Posit. X.*

i) IDEM *Lib. VI. Respons. XV. num. 22. sequ.*

k) *Supra §. IV.*



simultaneam inuestituram cogi possint, aliquid duri inesse, illis uideri poterit, qui, memores eorum, quae supra monui, ^{a)} simultaneam nimirum inuestituram tum a BENEVOLENTIA uasalli, tum a GRATIA domini directi, initium capere, adeoque BENEFICIUM in se continere, conferre uelint regulam PAVLLI, ^{b)} INVITO BENEFICIUM non dari, et monitum VLPIANI, ^{c)} non posse NOLENTI LIBERALITATEM ACQVIRI. Neque nego, me ad eorum, qui hoc mihi obiiciunt, sententiam accedere, dum in hac tractatione ipse asserui, ^{d)} liberae eius uoluntati, quem uasallus eligit, esse relictum, an communionem coniunctae manus cum uasallo uelit inire. Ita etiam tunc, cum feudum uel diuisum fuerit, uel uni ex liberis a patre assignatum, ^{e)} et idcirco simultanea inuestitura dissoluatur, liberum erit reliquorum arbitrium, an BENEFICIO, quod in Constitutione Electorali, in uerbis supra ^{f)} adscriptis, proponitur, frui, et renouationem simultaneae inuestiturae petere uelint, nec ne. Verum hac argumentatione a sententia plane non dimoueor. Etenim in hac causa, de qua inter liberos Titii disceptatur, non id agitur, ut coheredes, per continuationem simultaneae inuestiturae COMMODVM SVVM promoueant, et LVCRVM sibi acquirant, sed, ut in compensationem lucri, quod ex QUALITATE

ALLO-

a) Repete, quae dixi §. I. et VIII.

b) L. LXIX. D. de Reg. Iur.

c) L. XIX. §. II. D. de Donat.

d) Dixi supra §. III.

e) CASP. HENR. HORNIVS *Iurisprud. Feud. Cap. XVII. §. VIII.*

f) Supra §. IX.



ALLODIALI suarum portionum hereditiarum capiunt, ONVS aliquod subeant, in commodum fororum, ut nempe harum portiones hereditariae, quae ob qualitatem bonorum FEVDALIVM, iis assignatorum, partibus ceterorum heredum minores sunt, ex patris uoluntate, istis partibus aequales reddantur. Licet igitur concedam, beneficium seu liberalitatem inuito obrudi non posse, nego tamen, in hac causa uere obrudi coheredibus beneficium, uel liberalitatem. Saltem iis iniungitur praestare id, ad quod praestandum perfecte obligantur. Et quamuis liberum omnino sit unicuique arbitrium, utrum cum Vasallo, nouum feudum acquirente, societatem coniunctae manus inire uelit, exinde tamen parum recte colligitur, renouationem etiam inuestiturae semper a libera uoluntate simultanee inuestiti dependere. Interdum enim pacto, interdum etiam, ut in hac, quam proposui, specie, ultima patris uoluntate, siue illam expresserit, siue minus, necessitas alteri imponitur, ut, in Vasalli utilitatem, renouationem petat inuestiturae. Neque in hac sententia auctoritate destituimur. In mandato^{g)} enim feudali, quod SERENISSIMVS REX NOSTER, in comitiis nouissimis, ditionum suarum Statibus ad deliberandum proposuerat, sed quod hucusque nondum promulgatum est, poena arbitraria digni uidentur filii, qui uel temere, uel ex negligentia, omittunt renouationem inuestiturae, quae in commodum fratris, cui pater in testamento feudum proprium esse uoluit, fieri debuisset. Subi-

D 2

ciam

g) von Muthung und Erneuerung der Lehn und Mirbelehnenschaft §. V. quod extat in actis Comitiorum Prouincialium de anno 1749.



ciam uerba PRINCIPIS INDVLGENTISSIMI: *Daferne die übrigen Söhne, welche nach der vaterlichen Disposition nicht mit in das Lehn-Guth succediren sollen, die Lehn an solchen nicht suchen, noch selbige nachher wiederum zum BESTEN ihres Bruders, der nach des Vaters letzten Willen das Lehn-Guth bekommen soll, auflassen wollen, sondern sich entweder aus Vorsatz und Gefehrde, oder aus Nachlässigkeit daran verseumeten, so soll dem obngeächtet das Guth dem Sobne, welchem es der Vater beschieden, im Lehn gereicht, und die übrigen Söhne wegen ihres nur erwehnten Verhaltens bestrafft werden.*

XIII.

AN AD PACISCENDVM QVIS COGI POSSIT,
EXPENDITVR.

PRAESERTIM uero legi, tum naturali, tum ciuili, contrarium uideretur, cogi quem posse ad dandas literas reuersales, siue, quod idem est, ad ineundam cum uasallo conuentionem, quo ius ex simultanea inuestitura uel iam quaesitum, uel adhuc quaerendum, ex parte remittatur. Hoc enim ratio naturalis unicuique suggerit, hoc iterum iterumque praecipiant leges ciuiles, hoc in ore doctorum uersatur, LIBERVM esse debere paciscentium consensum, adeoque neminem obligari ad paciscendum, praecipue uero REMISSIONEM uel RENUNCIATIONEM iuris quaesiti imperari non posse, sed eam LIBERAE esse ^{a)} VO-

LVNTA-

^{a)} L. XVII. §. III. D. Commodari. L. V. C. de Oblig. DAV. MEVIUS Part. I. Decif. CCXXIV. BENED. CARPZOVIVS Iuriferuad For. Part. I. Conf. I. Def. XI. n. 7. et Defu. Confst. Lib. III. Tit. II. Def. XXVI. n. 2.



LVNTATIS. Habent omnino haec argumenta aliquid ponderis, et fateor, illis tenacius esse inhaerendum. Sed iis facile occurritur, si regulam illam, ita limitibus quibusdam circumscribis, neminem, nisi lex, ex singulari causa, NECESSITATEM imponat, ut quis se obliget, aut de iure suo decedat, cogi posse. Sic salus publica, quam supremam legem uocant, interdum imperat ALIENATIONEM rei nostrae. ^{b)} Sic, propter summam aequitatem, uicinus quandoque compellitur, ut uicino VIAM in fundo suo, aequa compensatione detrimenti oblata, CONSTITVAT. ^{c)} Sic STIPVLANTI se OBLIGARE, quod in regula liberae uoluntatis est, interdum quis iubetur, unde nomen STIPVLATIONIS NECESSARIAE, quae conuentionali opponitur. ^{d)} Sic etiam DONARE, licet actus merae liberalitatis dicatur, interdum quis cogitur. ^{e)} Sic COMMVNIONEM inire et in ea permanere, licet alias liberi sit arbitrii, nonnunquam est necessitatis. ^{f)} Praecipue uero huc pertinet illud, quod legibus imponitur

D 3

- b) L. XIV. §. I. D. *Quemadmodum seru. amitt. §. II. Inst. de his, qui sui uel alien. iur.* Conf. PETR. SCHVLZII *Diss. de uenditione necessaria §. XI. sequ.* ubi casus recensentur, quibus quis possit cogi, ut rem suam uendat, ob publicam utilitatem uel necessitatem.
- c) L. XII. pr. D. *de Relig. et Sumr. Fun. Add.* CHRISTOPH. LVDOV. CRELLII *Diss. de Seruitute necessaria compendii causa praedio uicini imponenda §. III. sequ.*
- d) §. III. *Inst. de Diuis. stipul.* LÜD. MENCKENIUS *Synops. Pand. Lib. XLV. Tir. I. §. II.*
- e) IO. HENR. N. D. DE BERGER in *Diss. de Liberalitate necessaria §. XXIV. sequ.*
- f) CHRISTOPH. LVDOV. CRELLIUS in *Diss. de Communiōe necessaria et indissolubili §. II. sequ.*



nitur HEREDI necessitas, ut exacte obtemperet testatoris uoluntati, ideoque, si hic iusserit uendere, uel emere rem, uendat, uel emat; si permutationem, uel donationem imperet, permutet uel donet; si aliam obligationem ab eo contrahi uelit, contrahat, siue de re sua dixerit testator, siue de re heredis, siue de re tertii.^{g)} Etenim heres cum in uniuersum testatoris ius succedat, et, quod IUSTINIANVS docet,^{h)} una quodammodo persona cum defuncto esse uideatur, idem, quod testator uoluit, uelle praesumitur, et, si eius uoluntatem implere nolit, quo magis isti morem gerat, cogi potest. Ratam enim dicit ultimam testatoris uoluntatem, simulac hereditatem adiit, imo, SVAM uoluntatem esse, declarat. Quam deinde retractare, et, quod eleganter ait IUSTINIANVS,ⁱ⁾ contra PROPRIOS SERMONES reluctari, non potest. Ex quibus facile cognosces, sibi omnino constare hanc sententiam, posse coheredes cogi, ad dandas literas reuersales. Coguntur, quia sunt heredes Titii, ex cuius uoluntate, aequas hereditatis partes, quocumque modo fieri possit, fororibus suis praestare tenentur.

XIV.

NEC SIMVLTANEA INVESTITVRA, NEC LITERAE REVERSALES,
AD RES ODIOSAS SVNT REFERENDAE.

DEINDE audio, simultaneae inuestiturae inesse aliquid onerosi, ODIOSI, iniqui, et EXORBITANTIS,^{a)} ideoque
litteras

g) §. IV. *Inst. de Legaris.* §. II. *Inst. sing. rebus per fideic. vel. L. LXVI. D. de Legatis I.*

h) NOVELL. XLVIII. in Praefat. circa fin.

i) NOVELL. alleg.

a) ANDR. RAVCHBAR. *Parr. II. Quaest. XXI.*



litteras etiam reuerſales iis, qui dare eas coguntur, maxime eſſe exoſas, eas potiffimum, quibus alienandi facultas, quae indoli feudorum repugnet, et ordinem ſuccedendi, iure feudali definitum, turbet, imo tollat, Vaſallo concedatur. Et ſunt, qui eiuſmodi litteras reuerſales PALLIVM FRAVDVENTAE ALIENATIONIS dixerunt. An ergo illis in dubio fauendum, et ex Titii teſtamento, quod nihil huius rei meminit, eruenda erit obligatio ad dandas litteras reuerſales? An recedendum a regulis boni interpretis, quod nempe in re odioſa reſtrictiuae, non extenſivae, quam dicunt, interpretationi locus, quod etiam uerbis teſtatoris ubique inhaerendum ſit, et ea, quae non dixit, non cenſeatur uoluiffe?^{b)} Grauitur omnino haec obſtare uidentur. Videntur, inquam. Facili enim negotio, niſi magnopere fallor, remoueri poterunt haec, quae nobis obiiiciuntur. Primum enim nego, in ſimultanea inueſtitura quid deprehendi, quod oneroſi, odioſi, iniqui uel EXORBITANTIS nomine inſigniri poſſit. Magis illa proficua, quam oneroſa eſt ſimul inueſtitis. Magis illa in conſeruationem, quam in detrimentum feudorum eſt recepta, adeoque fauorem potius, quam odium, meretur. Sed cum alios iam in eodem argumento uideam occupatos,^{c)} uberius idem tractare nolo. Vehementer porro falluntur

b) L. XXXII. §. III. IV. D. de uſu et uſufr. leg. L. un. §. II. de Caduc. toll. ibi: niſi teſtator apertiffime et expreſſim diſpoſuerit. Conf. NIC. CHRIST. L. B. DE LYNCKER Vol. I. Reſponſ. CLXV. num. 5.


c) ANDR. RAUCHBARVM, quem allegaui, et alios, qui cum eo ſentiunt, reſutat IO. PETR. DE LVDEWIG in Diſſ. de ſimultanea inueſtitura Diſſ. I. Cap. III. §. II. ſequ. et ANDR. KNICHEN de Veſtitur. pact. Parr. I. Cap. I. num. 56. ſequ.



tur ii, qui literas reuerſales fraudulentæ alienationis pallium uocant. Quid enim fraudis ſubeſſe poteſt, ſi is, qui ſimul inueſtitus eſt, ſe alienationi feudi, quandocunq; illa a Vaſallo fiat, non interceſſurum, ſed eam ſuo conſenſu confirmaturum eſſe, ſpondeat. Haec enim conuentio iura domini directi illaeſa ſeruat, nec aliud continet, niſi hoc, ut alienatio feudi citra fraudem et damnum tertii fiat. ^{d)} Cum igitur in materia fauorabili potius, quam odioſa, uerſemur, locus non eſt regulæ, quæ in odioſis reſtrictiuam interpretationem adhibere iubet. Tum illud quidem concedo, teſtatoſem non uideri uelle, quod non dixit, uidendum tamen eſt, an id, quod clare non dixit, dixerit implicite. Quare antea monui, ^{e)} in teſtamentiſ non tam ad uerba, quam ad teſtatoſis uoluntatem, eſſe reſpiciendum.

^{d)} Vid. Io. GOTTL. SIEGEL. *Diff. I. de Literis reuerſalibus* §. XIII.

^{e)} §. IV. circa finem.




A M P L I S S I M O
A T Q V E
C L A R I S S I M O
C A N D I D A T O
S. P. D.
P R A E S E S.

*V*t per se iucundissimum est negotium, quod
muneris ratio nobis, doctoribus publicis, im-
posuit, ingenia literis mancipata tractare,
eademque ad sapientiam, et, quae sapientiae fructus
est, ad famam et immortalitatem, manuducere, ita
praesertim iucundum est, speculari ingenia, et, quan-
tum alterum alteri, suis dotibus, aut antecellat, aut
cedat, explorare. Tanta enim est ingeniorum diuer-
sitas, ut, varios eorum gradus et classes esse, com-
mode

mode dicatur. Ea, quae reliquis omnibus praestant, solertissimus ille ingeniorum censor, Seneca, uocat ingenia primae notae. Hoc gradu, ex eius mente, habentur ingenia uirtutis rapacia et ex se fertilia, ingenia facilia et expedita, quae ipsa sibi uiam faciunt, quibus ex se impetus est, quae ipsa se proferunt. In proximo gradu, Seneca dixit, esse ingenia secundae sortis, quae, licet egregia etiam sint, tamen hoc habent, quod ope aliena indigeant, quod non eant, si nemo praecesserit. Tertium genus, ait, esse eorum, quae cogi ad rectum compellique possunt, quibus igitur non duce tantum opus est, sed adiutore et coactore. Postremum denique gradum tenent ingenia, quae describere nolo. Iam, si TE, POLITISSIME CANDIDATE, intueor, exploraturus, quo gradu habendus sis, tot argumenta inuenio, quae certissimam fidem faciunt, TE rem agere

agere inter ingenia primae notae. Scilicet uir-
tutis rapax ingenium, cum inter nostros uersare-
ris, quod non sine uoluptate recordor, omnium,
qui TE norunt, amorem TIBI conciliauit. Sponte
semper iuisti, neque expectasti, ut quis praecederet
aut cogeret. Ex TE ipso impetus fuit ad rectum
honestumque sectandum. Ingenium ex se fertile,
facile et expeditum, Ordini nostro, in tentami-
nibus, quae subiisti, ita probasti, ut TE, concor-
dibus suffragiis, dignissimum iudicauerimus, cui
aditus ad summos in iurisprudentia honores pate-
fieret. Ipse TIBI facis uiam ad laudem et decus.
Ipse, quod solent ingenia primae notae, TE pro-
fers in lucem. Publice enim, ante discessum ex
hac Academia, libellum, elegantissime a TE con-
scriptum, plaudentibus bonis omnibus, defendisti.
Postea in foro causas eorum, qui fidei TVAE
se

se crediderunt, ut scite, ita candidè, orasti. Iam
novo libello, quem publice proponis, TE praeceptis
iuris feudalis probe imbutum esse, abundè demon-
stras, et propediem in ipso conflictu inaugurali,
quem paras, intelligemus, quam in numerato ha-
beas ingenium. Ego uero multopere laetor feli-
cissimo hoc, quem ubique experiris, rerum TVA-
RVM successu, et, ut auguror, TIBI non defu-
turam esse fortunam amplissimam, quae nunquam
deest ingeniis primae notae, ita ex animo uoueo,
ut haec quam proxime TIBI eueniat, et ut
eadem quam diutissime perfrua-
ris.



ULB Halle
002 671 204

3




A-70

B18





1461 4
3
17



DE
OBLIGATIONE
LITERAS FEVDI REVERSALES
DANDI COHEREDIBVS

PRAESIDE
ERNESTO MARTINO
CHLADENIO D

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTORII
ECCLESIASTICI SCABINATVS ET FACVLTATIS
IVRIDICAE ITEMQVE IVDICII PROVINCIALIS
IN MARCHIONATV LVSATIAE INFERIORIS
ASSESSORE

AD DIEM XXII. IAN. A. C. N. cl. Io CC LXI

VT
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
ADIPISCRETVR
DISPVTABIT
AVCTOR

ADOLPHVS CHRISTIANVS WENDLERVS
IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS
ET ADVOCATVS IMMATICVLATVS

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA